



Disputatio medica inauguralis de chlorosi

<https://hdl.handle.net/1874/341833>

DISPUTATIO MEDICA
IN AVGUSTALIS,
DE
CHLOROSI,

quam
FAVENTE DEO OPT. MAX.

Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. HERMANNI WITSII,

S. S. Theol. Doctoris, ejusdemque in Inlyta Academia Ultrajectina
Professoris Ordinarii, & Ecclesiæ ibidem Pastoris facundissimi,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicorum Consensu, & Alma
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis
ritè, ac legitimè consequendis,

Eruditorum examini subjicit

WILHELMUS VAN SCHAAACK, Enchusæ Batavus.

Ad diem 24. Aprilis, loco horisque solitis.



ULTRAJECTI,

Ex Officinâ **FRANCISCI HALMA**, Academiæ
Typographi, cœ Lxxxvi.

DEO T. O. M.

PATRIÆ.
FRATRIBUS.
AVUNCULO.
CONSANGUINEIS.
PRÆCEPTORIBUS.
AMICIS.

E T
FAUTORIBUS.

Ea quæ par est animi submissione, & obsequio
devenerandis
se totum

&

Hæc Inaugurales Theses

Sacras facit

WILHELMUS van SCHAAK.

AUCTOR & RESPONDENS,

PROOEMIUM.

Ocietatem humanam, post primam primorum parentum labem, variis corporum imbecillitatibus obnoxiam esse, adeo exploratum, & nunquam non obvium est, ut nemo, nisi vellet exuere, humanam naturam inficias ire posset; qualis quantaque morborum phalaux, ab isto tempore retro humanum vexavit genus, quorum & truculentissimis invasionibus in numeri jacent vieti mortales. Virorum morbos solummodo cum considero, eos fere innumerabiles esse quae quo se non vide? Amabilis autem muliebris sexus infestos hostes ad retiam rationis trutinam si appendam, qualem quantumque morborum non offendo catalogum, virorum longe superantem, & non solum cum his communium, sed feminis priorum? ex omnibus hisce pro exemplo sufficiat nobis Chlorosis sive Morbus virginicus; et atem, enim cui familiaris est si spectes, primam fere invadit virginitatem; symptomatum si consideres vehementiam, nullus fere est truculentior, amabilem, autem illam delicatamque virginum pulchritudinem inducto pallore morbo absument; nullus fere sequiori sexui, cum nubili flore in amplexus procorum ad volare, cupiunt, mollique Matrimonii jugo collum late subdere appetunt, magis est exosus magis est infectus; si frequeniam species, sanequam sapissime occurrit, & curationis pertinacia ut Virgines in pallorem, ita Medicos in ruborem conjicit hic morbus igitur in presentiarum mibi (utpote cui lucubrationibus Academicis colophonem superaddituro, pro more solito incumbit, aliquod meorum in studiis progressuum specimen edere) inauguralis lemmatis materiam suppeditabit: quem si non pro materia dignitate, saltem pro viribus ac ingenii modulo planiore aliquantulo reddere est ancimus: secunder itaque Deus T. O. M. nostros conatus, votisque adipiret, ut omnia initia cedant ad nominis ipsius gloriam & proximi salutem.

A 2 DIS-

D. M. IN A U G U R A L I S,
DISPUTATIO MEDICA
DE

CHLOROSI.
T H E S S I.

Quoniam in omnibus tum quæ dicuntur, tum quæ chartis mandantur certa quædam requiratur methodus, secundum quam omnia, quæ vel dicenda, vel scribenda sunt, diriguntur, nil magis necessarium putavi, quam ut majoris evidentiæ ergo summa dissertationis nostræ recenseamus capita, è re ergo mea esse puto (1.) Paucula quædam præmittere circa nominis *Etymologiam*. (2.) Ipsam morbi dare *definitionem* (3.) *Sympomata* pleraque indigitare, (4.) Præmittere quædam de chylificatione & natura sanguinis. (5.) Causas tum proximas tum remotas quantum possibile erit innuere. (6.) Legitimam *Phænomena* per causas explicationem subjungere. (7.) Prognostica aliqua recensere. (8.) Succinctam denique & convenientem curationem tradere; ne antem cum tam multa in singulis consideranda sunt, librum potius quam dissertationculam conscribere videar, tanta quanta poterit brevitate omnia percurrere animus est.

II. Nomen hujus morbi est *Chlorosis* à χλωρίῳ viridis sum, quia ipsi semper fere comes est luridus cum virore flavor; Latini sæpius Morbum virginatum appellant quia virginibus jam viro maturis magis est familiaris; Febrem albam nonnulli dixerunt quia febricitantes ordinariò sunt pallidi; nominatur & *Ictericia alba*, quod sicut in Ictero totum corpus flavo tingitur colore, ita in hoc affectu pallido & albo inficitur. Belgis de Maagden-Sielice.

III. Posita itaque nominis *Etymologia* definitionem morbi tradere necessarium duxi, scilicet quod *Chlorosis* sit *subtumidus aut de-color corporis habitus ob obstrunctiones multiplices vasorum capillarium tubularumque partium solidarum ab humoribus crassis viscosis*.

IV. Symptomata ut plurimum hunc morbum concomitantia (quæ & pro signis diagnosticis inservire possent) sunt *faciei & labiorum pallor, eorumque inflatio & intumescencia, precipue post somnum;*
som-

INAUGURALIS.

5

Somnus solito major, Capitis dolor gravatus, gravitas & laffitudo totius corporis spontanea, respiratio difficultis, hypochondriorum inflatio & intumescensia, Menstruorum suppressio, Cordis palpitatio, Cardialgia, Appetitus prostratus, Nausca, Pica, Febris erratica & inordinata, multaque alia; Notandum autem haec symptomata aliquando plura in his, aliquando pauciora & leviora in illis aliquando omnia in aliis quibus contingere.

V. Sed priusquam pergam paucula præfari lubet de chylificatione ac natura sanguinis ejusque affectis. Alimentum itaque quod quotidie assuminus diversum est hoc ut cedat in naturam sanguinis varias necesse est ut subeat mutationes fermentationesque; ori traditum acie dentium comminuitur, ita enim particulae à se mutuo extricantur, ac quoad molem majorem sortiuntur superficiem, saliva diversis particulis onusta humectatur, & ad plenariam fermentationem dein in ventriculo patientiam disponitur: haec alimenta dicto modo præparata ope linguae mulculorumque pharyngis coguntur per æsophagum adire ventriculum ut ulteriore illic accipient fermentationem & per consequens particularum attenuationem: ad miscetur hic fermentum aliquod constans ex sufficientibus particulis salinis, acidis, oleosis aquae &c. (nam sanguinem ex quo hoc secernitur fermentum constare ex innumeris diversis particulis quotidiana non solum ostendit diceta; quod etiam innuere videtur Hipp. lib. de prisc. Medicin. dicens est in sanguine nostro & amarum & salsum, & dulce, & acidum & acerbum & fluidum & sexenta alia, sed & aperte hoc docet Anatome chymica) partim per vasa gastrica ad ventriculum delatum, partim à reliquiis ciborum in rugis ventriculi hærentibus; consert & suum symbolum materia mundi subtilissima, cunctarum particularum poros festino cursu pervolans unde sequitur quo major est particularum heterogeneitas, eo etiam majorem aetheris esse diversitatem, ex qua diversitate, cum non omnis aether eadem facilitate potest pervadere omnium corporum porosuctam maximam particularum alimentorum oriri necesse est, & per quam ita à se invicem disjunguntur, attenuantur & dividuntur, ut genuinum futuræ nutritionis rudimentum describant.

VI. Quod nutritionis rudimentum per dextrum ventriculi orificium ad intestina detruditur, ubi subtilior ejus pars vasa lactea subit, fæculentior vero, motu intestinali peristaltico ulterius pres-

6 DISPUTATIO MEDICA

sa fæces alvinas constituit; subtilior igitur massa per vasa lactea defertur ad commune chyli receptaculum, ubi dum ab affluente undequaque lympha fluidior facta, à pressione circumiacentium viscerum aliquisque mediis per ductum thoracicum, pecquetianum dictum, ulterius versus superiora ad venam subclaviam sinistram impellitur, ut mox cum sanguine circulante ad venæ cavæ truncum (adscendentem, sed male, veteribus dictum) propulsus cum reliquo sanguine in dextrum cordis ventriculum illabatur; hic itaque ulteriore pati in partes quoad molem usque minores attenuationem, & ut in thesi præcedenti ex particularum diversarum figura blanda inter se pugna similem fere attenuationem factam fuisse jam vidimus, ita hic à ratione alienum non est per similes causas eosdem produci posse effectus; Consideranda tamen sunt hic (primo) sanguinem è vena cava ad cordis thalamum reducem, ac diversissimis particulis constantem, (zdo) chyli jam jam de novo accedentis cum sanguine maximam disconvenientiam, (tertio) sanguinem in cordis ventriculo à præcedenti fermentatione residuum, maxime spirituosum, fermenti quasi naturam habentem, (quarto) sanguinem ex arteriis coronariis transsudantem (quinto) lympham per vasa lymphatica advectam (sexto) spiritus per nervas sexti paris affuentes, ex horum autem omnium concursu mutuo non potest non quin tanta exoriatur effervescentia, quæ apta nata fit omnia in subtilem pollinem redigendi.

VII. Egressus è dextro cordis ventriculo sanguis per pulmones (ubi nitrosis quibusdam aëris particulis imprægnatur, & à nonnullis recrementis separatur, circulationes suas absolvit, ac deportatur ad sinistrum cordis ventriculum, ubi repetito (ut in dextro) in foco cordis incendio, vi ejus valvulas aperit, per totum corpus sese diffundit, ac pulsus causam constituit. Sanguis hic chylo onustus alluens omnes nostri corporis partes, per arteriarum aperta, cum pulsu tumefactæ sunt ac crebris foraminibus dehiscunt, deponit in fibrarum fistulas, nutritios quosdam succos qui quod præterlabuntur fæcunda ope vegetant, donec tandem per vasa lymphatica, quæ oscula sua infundibulorum instar plus minus patentia habent in partibus quibusdam solidis, revertuntur ad sanguinem: chylus deinde sive sanguini fidus ubique fuerit comes, sive à nutritione residuus iteratis per cordis ventriculos transitibus ac fermentationibus in rubicun-

bicundissimam propter salem volatilem & oleum intime unita (quisbus imprægnatus est) convertitur sanguineam massam.

VIII. Hæc dum dicto modo omnia peraguntur rite procedunt æconomia nostræ animalis functiones; humores & recrementa à sanguine secundum justas naturæ leges secernuntur; subtile in cerebro spiritus, in ore saliva, in ventriculo fermentum, in Pancreate ejus succus, in Hepate bilis, in Renibus serum, & plura alia à sanguine separantur; hæc attamen in utroque sexu, nec etiam in omni subjecto non æque feliciter semper procedunt, in aliquibus vegetiora, in aliquibus tardiora esse solent pro sexus, vel subjecti, vel fermentationum, vel diætæ ratione: luce meridiana clarius hoc patet in foemineo sexu, in quo partim ob fixiorem sanguinem (forsan à prima origine) partim ob neglectam diætam, cui plerumque indulgere solet, partim ob vitam sedentariam, paucioraque exercitiam, unde minor fermentatio, particularum crassarum attenuatio, & exrementorum à sanguine secretio, quam in maribus fieri solet, qua propter in illarum corporibus congeritur magna crassarum ac terrestrium &c. particularum copia ac cacochymia, malorum innumerorum ferax mater, quæ ut multa alia mala, ita & chlorosin producere potens est.

IX. *Causa* itaque hujus morbi *proxima* sunt obstrunctiones innumeræ vasorum capillarium, tubulorumque partium quarundam solidarum: *causa antecedens* est sanguis crassior viscosior, & terrestrior cum falsedine quadam vel aciditate fixa, unde crassiores & viscosiores humores &c. (nam qualis est sanguis noster tales & in nobis secernuntur humores,) qui dum propter obstrunctiones natas in vasibus capillaribus, tubulisve partium solidarum more solito ea nec pervadere nec intrare possunt Chlorosin cum magna symptomatum, mox explicandorum caterva progignunt.

X. Ad causas transeo procatareticas quæ sese manifestant in sex rebus, quas nonnaturales vocare solent Medicorum filii, has autem enarrare & videre quid possunt animus est (primo loco) considerandus venit aër qui semper, non solum per cutis spiracula foras intro spectantia, sed & per asperam arteriam pulmones ingrediens, & sanguineæ massæ sese commiscens eam maxime alterare potest; non intelligo autem aërem naturalem, sed crassas particulas ex intimis terræ penetralibus mediante solarium radiorum vi elicitus, aérique

ut

8 D I S P U T A T I O M E D I C A

ut peregrinum quid innatantes, quæ latice sanguineo communicatae ejus fermentationes imminuere, humores circulantes incrassare & varias obstrukiones progignere possunt. (Secundo) Consideranda veniunt assumpta, sive alimenta dicta, hæc si particulis gaudeant benignis, ac quantitate convenienti bene procedunt oeconomia animalis functiones ut ostensum Th. v, vi & vii, sin vero secus se habeant omnia in contrarium vertuntur, ut v. gr. esu tritici, aliorumque frumentorum crudorum, cretae, terra, cinerum, gypsi cespitum ustilium &c. hæc enim vel quod imbibendo ventriculi fermentum ansam præbent ut chylus non elaboretur bonus, vel quod constantia ex particulis crassioribus & gravioribus sanguinem fixiorem reddunt, ejusque motum imminuunt & obstrunctiones innumeras producendi apta sunt, idem hoc efficere posse alimenta crassa viscosa glutinosa, ut carnes bubulæ annosæ salitæ, pisces varii, pedes vitulini &c. quis dubitat? sanguinem enim incrassando ubique in tubulis partium solidarum valorumque capillarium remoras quasdam sanguinis & humorum circulationi resistentes deponunt. *Potus aquæ frigidæ & aceti nocent*, quatenus aqua diluens & enervans ventriculi fermentum illud impotens reddit ad satis incienda & attenuanda alimenta, etiamsi melioris essent notæ, acetum vero particulis suis acidis austerioris omne fere, præterquam quod coagulat vertit in naturam sui.

XI. (Tertio) *Somnus & vigilia* si in excessu peccant hunc morbo dare possunt, ille autem sanguinem crassiores reddit, quia ob minores tum temporis fermentationes pauciores secessunt spiritus; hic vero nimis dum spiritus animales absunt sanguinem relinquunt instar capit is mortui. (Quarto) idem esto judicium *de motu & quiete, motu* enim nimius spiritus dissipat & exhaustit, unde concoctiones ob defectum spirituum rite peragi nequeunt, hinc sanguis fit crassior; *quies econtra justò longior* etiam si spiritus non adeo absunt eosdem tamen nimis deprimit eorumque generationem promptam quodammodo inhibet, inde circulatio sanguinis & humorum tardior peragit, spiritus redduntur crassi torpidi, nec ad functiones obeundas satis agiles, ut itaque hoc modo cruditates in sanguine cumulentur. (Quinto) *Excreta & retentia* si legitimo modo non procedunt plurimas turbas & calamitates in oeconomia animali excitant; ut sæcum alyinarum, urinæ, hæmorrhoidum confue-

consuetarum, mensium &c. evacuatio si sit suppressa sanguinem in-
crassat & ad obstructions generandas idoneum reddit; nimirum au-
tem evacuationibus per praedictas vias fere omnibus massa sanguinea
spiritibus animalibus, & subtilissimis seri portionibus privatur, re-
manente materia inutili, crassa, cruda, viscida, quae ad motum circu-
lumque sanguinis absolwendum est inepta. (Sexto) agmen denique
claudunt animi pathemata inter quae præcipue accusamus mærorem
& tristitiam, haec enim quatenus spiritibus animalibus per totum
corpus circulantibus viam præcludunt, motum cordis & sanguinis
imminuunt unde elaboratio sanguinis lente peragitur, & particula-
rum crassarum non sit attenuatio.

XII. Amplum symptomatum campum jam percurrere lubet, in
quo primo fere prodit loco, faciei & labiorum pallor, oritur hic
dum sanguis innumeris scatens particulis viscosis, crassis, terrestribus,
nec motu gaudens satis agili ut sub ratione laticis rubicundi ad ex-
tinas perveniat corporis partes, minimaque faciei, labiorumque vas-
cula capillaria ingredere, & distendere potens sit, illa implet humore
quodam lymphatico, qui ea inficiat albido colore: deviat hic color vel
in subalbidum, vel in lividum, vel ex viore flavescentem prout
lympa per vascula illa fluitans plurimis eorum conficit particulis: acce-
dunt huic colori *inflatio & intumescencia in facie & palpebris, præcipue*
post somnum; ex sanguine illo terrestri, crasso viscoso ubique in mi-
nimis vasculis obstructions ortas esse quis inficias ibit, ut & minori
sanguinis motu latera vasculorum ad se invicem subsidisse, unde
per illa circulans humor immotus stans, à tergo tamen pressus inflat
& intumescere facit faciem & palpebras, hoc autem præcipue fieri
post somnum ratio est, quia in somno dum debiliores existunt fer-
mentationes quam in statu vigiliæ plures etiam ortæ sint obstruc-
tiones.

XIII. Producitur solito *major somnus* ab eodem sanguine crasso
&c. tendente per arterias carotides ad caput, ubi hic, dum ad infi-
nitas per substantiam cerebri divaricatas Carotidum ramificationes &
præcipue plexum choroideum propellitur, paucos, & non satis etiam
subtiles per vasorum poros secernit spiritus in ventriculos cerebri,
qui cum ob inopiam sui interiores nervorum fibrillas flacessere &
in se mutuo collabi faciunt, per tubulos intermedios angustatos non
transirent tot spiritus, quod ad sufficientem muscularum inflationem
requiruntur, unde corpus nostrum ulterius sustentari nequit, &
in somnum prolabitur; gravior eo est *somnus* quo major est inopia

10 DISPUTATIO MEDICA

spirituum & collapsio tubolorum. dicti sanguinis particulae quedam crassae dum cum subtilioribus transiere poros vasculorum cerebri, inter ejus fibras hærentes, obstrunctionesque molientes ac pondere suo fibris incumbentes animæ talem præbent sensationem tristem, quam vocare solemus *Capitis dolorem gravatissimum*. Ab eodem fonte dependet *gravitas & lassitudo totius corporis spontanea*, nempe dum ex illo eadem labore infecti sequentur strantur spiritus, qui cum vel nimis pauci, vel non satis subtile ad musculi inflationem, inepti evadunt, eorumque tubulos debito modo pervadere non possunt unde tubuli in se mutuo collabescunt, & plurimis particulis crassis repleti, aggravantur, adeoque gravitatis languorisque in toto corpore sese offert sensus. Eadem sanguinis spirituumque constitutio *respirationem* quoque reddit *difficilem*, quæ fit quia Diaphragma & reliqui *respirationem* adjuvantes musculi ab eodem sanguine & humoribus crassis sunt obsecuti, vel cum viscera abdominis affecta sunt à communī causa unde obstrunctiones, & forte tumores motui diaphragmatis valde resistentes, præterea à sanguine tam depravato spiritus vix tanta copia possunt generari ut sufficienter continuam istam actionem sustentari possint.

XIV. *Menstruorum suppressio* fit cum sanguis scatens particulis terrestribus viscosis, acido austeri ad quietem inclinantibus torpidiori motu fertur, hinc facile particulae istæ crassiores sibi mutuo agglutinantur (nullum enim majus in rerum natura est gluter quam quies) hæc, dum sicut in aliis partibus, obstrunctiones plurimas producere in poris vasorum uteri, ejusque vaginæ, neque etiam auscultant levi actioni certæ cujusdam phaseos Lunæ (quæ quotenus radiis à sole acceptis, & in terram reflexis certam materiam ætheream in sanguinem introducit, quæ apta nata est effervescentiam excitare, vasa distendere, illaque aperiendo fluxum menstruum excitare, & prout hoc vel illo modo sanguinem constitutum repperit, sic modo has, modo illas fluxum pati efficit; unde fermentationem eo tempore solitam, & quæ illa sequuntur suscipere inidoneæ sunt.

XV. *Palpitatio Cordis* generatur, cum sanguis viscosior, acrimoniam habens conjunctam, attramen satis adhuc spirituosus, effervescit in corde, & in magnam molem attollitur, qua spiritus se propter viscositatem sanguinis extricare non possunt, (ut aqua cum sapone mixta, & vento inflata in magnas bullas elevatur, quia aëris interius inclusus viscositatem aquæ non facile perrumpit) hinc durante nihilominus effervescentia spiritus isti magis magisque expanduntur

duntur, ita ut priusquam è corde exeat sanguis in maximam bullam intra ipsos ventriculos attollatur, in quo cum plus solito consumitur temporis, ac spiritus aciores cordis parenchyma transeuntes & sua acredine vellicantes, faciunt priusquam sanguis ex carcere se liberet, ut spiritus, soliti per nervos ad cor constringendum influere, copiose & inordinate advolant, accedunt è cordis vasis in ejus substantiam se se insinuantes sanguis & humores, illamque distendentes atque sic ventriculos angustantes; intus interim contentus sanguis immaniter rarescens ventriculorum latera supra modum distendit, atque ita omnes ejus tubulos magno cum impetu comprimit, & mucronem cordis ad basin ejus contrahit, unde sanguis magna vi è cordis ventriculis in arterias propellitur.

XVI. Cum particulæ salinæ fixæ, vel acidæ austerræ molestissime fodiant & vellicant ventriculi orificium superius, quod innumeris gaudet nervis ideoque acutissimi est sensus, vel alimenta adeo cruda & absurdâ, assumpta scabritie suarum particularum pungunt fibrillas ventriculi vel pondere suo aggravant, prodit *Cardialgia*. Producitur vero *Appetitus prostratus* cum fermentum ventriculi ex poris vasorum gastrorum à sanguine tam male affecto in ventriculum expulsum adeo depravatum est ut non posset inducere levem vellicationem fibrillarum interioris ventriculi tunice, ejusque sinistri orificii, quod in mente excitaret appetitus ideam. *Nausea* vero fit dum inter membranas ventriculi, quæ constant ex textura innumerorum nervosorum filamentorum, utecumque teretium, vel totidem cylindrilorum sibi mutuo retis ad instar intertextorum & super impositorum innumeros, ea ratione juxta se relinquentium poros seu spatia intermedia ductus, alias tubulos vocandos, per quos fluunt spiritus animales, ortè sunt obstructiones ab humoribus crassis viscosis, quæ tubulos ejus insarcientes, spiritibus motum peristalticum producentibus liberum non concedunt transitum, unde hi copiosius & inordinatus affluentes tremulum efficiunt motum in fibrillas membranarum ventriculi, qui cum non sit satis sufficiens ad alimenta intus contenta satis alte attollenda, dicitur *Nausea*. *Pica* ansam datur cum è sanguine in ventriculum deponitur fermentum aliquod peregrinum per cuius poros transit materia ætherea insolita, quæ insolito modo nervos ventriculi afficiendo occasionem dat, ut in anima insoliti orientur appetitus, saepaque illorum quæ alimenta non sunt, ut *Cretæ*, *Calcis*, *Silicium*, *Oryza*, *Terræ*, &c. prout transeat per poros istius peregrini fermenti æther aliquis conveniens cum æthere fluente per horum poros. *Febris erratica* & *inordinata* si adsit, oritur à chylo

12 DISPUTATIO MEDICA

male elaborato, quæ dum ad sanguinem perducitur, importat ætherem, inimicum ætheri, fluenti per poros particularum sanguinem constituentium, ex quorum mutuo concurso producitur magna lucta, quæ mixtionem sanguinis turbatam reddere (in qua consistit natura febrium) posse, à ratione alienum non puto.

XVII. Quod ad *Prognosin* attinet, Morbus hic recens omni caret periculo levibusque potest tolli medicamentis, si tamen nimium negligatur, & altas in corpore radices agere permittatur, facile patet ex antedictis periculis hinc affectum plenum esse aleæ, præsertim cum graves & universales ubique adsunt in corpore obstrunctiones (quia medicamenta priusquam ad tam longe à corde diffitas partes pervenient maximam suarum virium amisere partem, ita ut impotentia sint obstructionum illic perrumpere claustra) quæ totam valent invertere œconomiam animalem, imo inducere hydropem, sterilitatemque irreparabilem, aliaque plura.

XVIII. Perventum jam est ad curationem, in qua præcipue hæ sunt observandæ indicationes (primo) ut intemperies sanguinis & humorum, supra sèpius culpata corrigitur, obstrunctionesque referantur (secundo) ut humores correcti & ad evacuationem idonei evacuantur (tertio) ut gravissimorum ac maxime urgentium symptomatum aliqua habeatur ratio, eaque mitigentur (quarto) denique ut exacta dixerit Methodus præscribatur.

XIX. In malo itaque recenti, si vires constent, (& præsente præsertim Plethora, magnaque cacochymia) curatio incipienda est a V. S. instituenda in pede, ut reliquus sanguis eo facilius incidi, attenuari & regi possit; in pede autem instituo, quia dum ad caput tendit per Aortæ ramum adscendentem subtilior, magisque volatilior laticis sanguinei pars, per Aortæ truncum descendenter ad pedes, secundum naturæ leges justas, descendit crassior scœculentiorque, hinc vulnusculum etiam solito aliquantulum majus est infligendum ut crassiori huic sanguini facilior detur exitus: quantitas vero emittendi sanguinis, dum aliæ Venæ sectionem absque minori incommodo, hæ vero cum majori ferunt vix determinari potest, itaque pro subjectorum diversitate hanc administrandam prudentis Medici judicio relinquimus.

XX. Imminuta itaque sanguinis copia V. Sione propinentur ea quæ particulis suis crassa attenuare, viscosa incidere, obstrunctionesque referare valent, qualia sunt Herb. Abrotan. Arthemis. Matricar. Meliss. Majoran. Menth. Puleg. Sabin. Arrotan. Flor. Rosmar. Anth. Lavend. Croci &c. Sem. Dauci. Fænicul. Nepeth. &c.

ut

ut & omnia quæ multo sale volatili donata sunt, ac pro in sanguinem ad majorem fermentationem disponunt; sed quoniam hæcce particulis nimis subtilibus gaudentia sola paria non sunt sanguini huic crasso attinuando, sed potius retrudantur imo ipsa flectuntur, oportet igitur talia quæ majoribus viribus, majoreque particularum constanza pollut, adhiberi. hoc autem nobis præstabunt Ligna, Cortices Rad. lignescentes &c, qualia sunt Lign. Guajac. Sassafr. Santal. alb. Cort. lign. Guajac. Tamarisc. Rad. Cappar. Fraxin. Aurantior. Rad. Chin. falsa parill. Angel. Levist. Brion. &c. Bacc. Juniper. Lauri sic etiam Tartar. Rhenan. Sal. Armon. & talia quam plurima, ex quibus pro arbitrio Medici diversæ possunt Medicamentor. præparari formulæ, quarum usitatisssima, nobisque consuetissima hæc esse potest

R. Lign. Guajac. 3*fl.*

Santal. albi 3*j.*

Cort. Rad. Cappar.

Tamarisci. Fraxin. aa. 3*fl.*

Aurautior. 3*vj.*

Rad. Angel. veræ. falsa parill. aa. 3*j.*

Brioniæ recent. 3*fl.*

Levistic. 3*vj.*

Herb. Arthemes. Puleg. Matricar. aa. m*j.*

Sabin. Meliss. m*fl.*

Sem. Nepeth. Fænicul. aa. 3*ij.*

Bacc. Juniper. Lauri aa. 3*ij.*

Tart. Albi 3*iv.*

conscis. & contus. infund. calid. p. noct. in vin. alb. Gall. & Hydrom. aa. q. f. (aut in f. q. vin Rhen. & Aq. chalib. pro ratione materiæ peccantis) postea fiat decoct. lenta in vasæ dupl. colat. Ibi. adde.

Mell. scyllit. 3*fl.*

Sal. arthemis. 3*j.*

Sp. sal. Armonn. 3*ij.*

M. F. Apozema de quo ter quaterve quotidie

Vacuo ventriculo bibat 3*ij.* vel iv.

Per tale aut simile decoctum quod reiterari & commutari pro Medici aut æ gri lubitu potest, sanguis sufficienter inciditur, obstrunctiones tolluntur, & sensim ad purgationes seu evacuationes præparantur.

14 DISPUTATIO MEDICA

XXI. Sanguine tali vel simili modo præparato , humoribusque fluidioribus ac mobilioribus redditis neceslum est illos antequam hic vel illic subsistant purgatione evacuari , nam nil juvat præparare nisi præparata quoque eliminentur; quinto aut sexto itaque post usum hujus Apozematis die præscribatur purgans aliquod quod potissimum constare potest ex Phlegmagogis qualia sunt Resin. Jalapp. Agaric. Troch. Alhand. Mercurius dulc. Extr. Lapid. Lazul. Extr. Helleb. nigr. Pill. ex Gummi Ammon. Mercurio dulci ac sale Arthemis, conflatè, nobis à Cl. v. Medicorum Ocello Th. Craenen Profess. quondam Lugd. Batav. tum temporis præceptore meo expertissimo , & quamdiu spiritus hos regunt artus honorando æstimando , in collegio pratico suo valde commendatæ) ex quibus componi possunt Pulv. Pillular. &c. pro ægrarum lubitu variae formulæ, quarum unam aut alteram præscribam

R. Extr. Agaric. gr. xv.

Resin. Jalapp. gr. iv.

Troch. Alhand. gr. ii.

Mercurii dulcis gr. x.

M. F. cum Ol. sabinæ Pillul. no. v.

Pro una dosi,

vel

R. Extr. Helleb. nigr. gr. vij.

Agarici gr. xvij.

Mercurii dulcis gr. v.

M. F. Pulvis sumendus cum cerevisia calida.

XXII. Eliminatis ita ex corpore humoribus iterum ad Apozematis usum revertendum est, & in eo per aliquot dies continuandam ac denuo purgandum , interim etiam exhibenda talia quæ fermentum ventriculi enervatum excrucere & elevare queant: tali fisco inserviunt Tart. virriol à 3j. ad 3lb. Spirit. acidi volat. ut sp. sal. Dulc. Nitri dulc. ad gtt. xij. ad xxx. vel sal. volat. Oleos. & Aromat. ad 3lb. ut & Aromat. quædam & Elix. prop. Paracels. &c. eaque omnia pro ratione materiæ peccantis, acida & austera fermenta si manifeste peccant , concentrentur illa & enerventur conchiliis testaceis corall. Perlis. potissimum autem per limaturam chalybis.

R. Limat. chalyb. 3lb. teratur in Pulverem tenuem & trajiciatur per angustum cribrum , Macis 3j. Sach. puri 3ij. terantur in pulverem tenuem , & misceantur, dosis quantum cuspidè cultri contineri potest.

XXIII.

XXIII. Cum autem congeries illa particularum peccantium non sufficienter omnino per purgationes evacuari posset, & jam ter quaterve sit assumptum purgans, haud à ratione alienum videretur, illud quod in partium solidarum tubulis adhuc residet, jamque sensim, per decoctum, aliaque sit solutum, insensibili transpiratione, seu per sudores è corpore excutere; huic scopo inserviunt Theriac. Methrid. Diascord. Confect. Alkerm. Croc. Tinet. Castor. Sal. volat. Succ. CC. sal. volat. Oleos. & Aromatic. ad majorem autem perterebrationem, pororumque apertio[n]em fortioribus ex Mineralium regno desumptis uti possumus, ut sunt Bezoard. Mineral. Regul. Antim. Medicin. Mercurius Diaphor. Tinet. Metallor. quæ partim particularum subtilitate, conjuncta cum rigiditate, partim æthere transfluente sanguinis humorumque motum intestinum augente opus suum destinatum efficiunt. ex hisce talis posset præparari formula

R. Regul. Antim. Medicin. Dr. Bezoard. Mineral. gr. vi.

Sal. Arthemis Dr.

Croci, sal. volat. Succ. aa. gr. iv.

M. F. Pulvis cui si addas Theriac. Venet. 3*b*.

F. Bolus qui dilutus in vino vel Aq. Cardb. & syr. Cardb. vel sim. add: F. Haustus sudorificus, hisce præscriptis medicamentis tamdiu per intervalla repetitis perseverandum est donec omnes fuerint obstruktiones sublatæ massaque sanguinea debito modo restituta mensesque fluere incipiant.

XXIV. Commendant valde Authores Thermas tam pro potu quam balneo quas & improbare, modo rite prius sit præparatum corpus, & illæ existant temperatæ aut chalybeatæ, non possumus harum enim intro assumptaæ particulaæ aqueæ diluunt sanguinem & humores, rigidæ vero & constantes Chalybis Venerisque &c. particulaæ, sua rigiditate & constantia valent obstruktionum perrumpere claustra pro balneo extra usurpatæ eutis partiumque extimarum spiracula ab obstruktionibus liberant, subtiliores autem particulaæ per poros foris intro spectantes, volitantes eadem sere præstant quam aquæ hæ intus assumptaæ: hec cum procul à nobis inveniuntur Thermæ, & ægræ res sëpe non ferant iter ad illas, possent parari balnea artificiosa ex sequentibus ut Cort. Fraxin. Rad. Brion. Lapp. Major. Fraxin. Fot. Arthemis. Calaminth. Nepethæ Salv. Mercurial. Bacc. Lauri Juniperi, Sem. Nepeth. Fænicul. Nitr. Sulph. Viv. Sal. Armon. coctis in f. q. Aq. Chalyb. & Vin. alb. an. part. æqual. fiatque f. a. Balneum.

16 DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS.

XXV. Quæri & vulgo solet apud practicos, an Venus legitima in hoc morbo quoque conducere posset? quod dum ab utraque disputatur parte, nos in affirmativam (ea tamen cautione, si magna ad sit, in corpore cacochymia illa prius tollenda, & cura quæ huic malo competit præmittenda, postea Virgo jungenda viro, ut id quod Medicamenta plane effectum reddere non potuerunt, Venus supplet; at tamen sit valde moderata, ne vires nimis dejiciantur) descenderemus, hac scilicet ratione moti quod in congressu spirituosa masculini seminis aura per poros uteri ad sanguineam advolat massam, eamque ad majorem fermentationem excitat.

XXVI. De symptomatum mitigatione nihil dicam ne in nimiam excrescat molem disputatio mea, maxime etiam dum sublatis causis tolluntur effectus, ut loqui amant Philosophorum filii, si autem horum aliqua nimis doloribus excruciant ægram, officium prudentis Medici est Medicamentis convenientibus illis quodammodo occurrere.

XXVII. Agmen denique claudit diæta, cuius exacta semper habenda est ratio, hac enim nèglecta magis in deterius vergeret morbus, quam usu medicamentorum proficeretur, *aer* igitur sit temperatus; *cibi* sint humidi, boni succi, facilisque concoctionis, abstineant ægræ ab oleribus, fructibus horariis, iisque omnibus quæ in causis procatareæcul culpavimus. *Potus* sit cerevisia bene desæcata, vinumque generosum in assuetis, & quod maxime conductit vinum malveticum, quatenus in se continens particulas qualidam metallicas quæ sua constantia valent obstructions referare: fugiantur aquæ frigidæ & aceti. *Potus* motis sit moderatus superet tamen quietem. *Vigilia* & *sommus* sint moderata, excedant attamen Vigilia somnum. *Excreta* & *retenta* quantum possibile sit vel natura vel arte respondeant voto indicationique medentis. Inter animi Pathemata cane pejus & angue vitentur *tristitia* & *memor*; econtrario summa opera navanda ut gaudium, deliciæ, voluptatesque &c. ægrarum recreent corcula; atque hæc de proposito lemmate dixisse sufficient.

F I N I S.